

## Primum.

guantur fm situm. **D**eus autem qui est omnium causa prima potest conseruare effectus in esse sine causis primis. vnde sicut pseruat in sacramento altaris accidētia sine subiecto. ita p̄t conseruare distinctionē materie corporalis et dimensionum in ea absq; diuersitate situs. **M**iraculose ergo fieri potest q̄ duo corpora sint in eodem loco. vnde corpori xpi attribuitur a sanctis. exiit per clausum virgīs vterum. et q̄ intrauit ianuis clausis per virtutem diuinam. et similiter dico q̄ corpus gloriosū qd̄ erit p̄figuratum corpori claritatis xpi. poterit esse cum alio corpore in eodem loco non propter aliquam virtutem creatam inditam sed sola diuina virtute assistente et hoc operante. sicut et corpus Petri sua vmbra sanabat infirmos. sed diuina virtute assistente et miracula faciente. **A**d primum ergo dicendum q̄ proportione cōmutata sic est vtendum. sicut se habet primum ad secundum. vt duo ad tria. ita se habet tertium ad quartum. ergo cōmutatim sicut se habet primum ad tertium vt duo ad quatuor. ita se habet secundum ad quartum. i. tria ad sex. et fm hoc ratio sic debet procedere sicut se habet vnum corpus ad vnum locum. ita duo corpora ad duo loca ergo sicut vnum corpus ad duo corpora. ita vnus locus ad duo loca. et sic non sequitur. q̄ si vnum corp⁹ nō potest esse in duobus locis. q̄ duo corpora possit esse in vno loco. vni enim corpus esse localiter in duobus locis implicat contradictionem. qz de ratione loci est q̄ sit terminus locati. terminus autem est extra quem nihil est rei. vnde nihil locati potest esse in loco exteriori. q̄ si ponat esse in duobus locis. sequitur q̄ sit extra

suum locum. et ita sequitur q̄ sit locatum et non locatum. nec est instātia de corpore xpi. quia non est in sacramento altaris localiter sed per p̄uersionem. **A**d secundum dicendum q̄ duas lineas rectas mathematicas esse infra duo puncta est impossibile quia in eis nulla alia ratio distinctionis potest intelligi nisi ex situ. **S**ed duas lineas naturales esse infra duo puncta est impossibile quidem p̄ naturam. sed possibile p̄ miraculum. qz remanet alia ratio distinctionis in lineis duabus ex diuersitate corporū subiectorum. que conseruatur virtute diuina etiam remota diuersitate situs.

**I**ncipit quodlibet secundum

**Q**uestus est de xpo de angelis et de hominibus. **C**irca christū quesita sūt duo de passionē ei? **P**rimo vtrum in triduo mortis fuerit idem homo in numero. **S**ecundo vtrum quelibet passio christi suffecisset ad redemptionem humani generis sine morte.

**A**rticulus primus.

**P**rimum sic proceditur. **V**idetur q̄ xpus fuerit idem homo in triduo. dicit enim **Mat. xij.** Sicut fuit Jonas in v̄tre ceti tribus diebus et tribus noctibus ita erit filius hominis in corde terre sed non fuit alius filius hominis in corde terre. nisi filius hominis qui loquebatur super terram. alioquin christus fuisset duo filij. ergo fuit idē homo in triduo mortis. **P**reterea

c. iij



## Quodlibet

Jonas fuit idem homo in ventre ceti qui prius fuerat. Sed sicut Jonas fuit in ventre ceti. ita xpus in corde terre. ergo etiam xpus fuit idem ho.

**S**ed contra. Remota forma pris remouetur forma totius. que resultat ex compositione forme et materie. in triduo mortis anima fuit separata a corpore christi. ergo desijt esse humanitas. Non ergo fuit idem numero homo in triduo mortis. **R**esponso dicendum q in christo fuerunt tres substantie vnite scilicet corpus anima et diuinitas. Sed corpus et anima fuerunt vnita non solum in vnaz personam. sed in vnaz naturam.

Diuinitas at in natura quide non potuit vniri. nec anime nec corpori. qz cum sit perfectissima natura. non potest esse pars alicuius nature. Sed fuit vnita et anime et corpori in persona in morte autem separata fuit anima a corpore alioquin non fuisset vera mors christi. de cuius ratione est q separaretur anima a corpore. quod per animam viuificatur. sed diuinitas non fuit separata nec ab anima nec a corpore. quod patet ex simbolo si dei in quo de filio dei dicitur. **D**e sepulchro est et descendit ad inferos. **C**orpoze autem iacente in sepulchro et anima ad inferos descendente non attribuerentur ista filio dei. nisi hec duo eent ei copulata in vnitate hypostasis vel persone. et ideo de christo in triduo mortis dupliciter loqui possumus. **U**no modo quantum ad hypostasis vel personam. et sic est idem numero simpliciter qui fuit. aut quantum ad naturam humanam. et hoc dupliciter. **U**no modo quantum ad totam naturam que humanitas dicitur. et sic christus non fuit homo in triduo mortis. vnde nec idem ho-

mo. nec alius homo. sed eadem hypostasis. aut quantum ad partem humane nature. et sic anima quidem fuit omnino eadem numero eo q non est transmutata in substantiam. corpore vero fuit idem numero in materia. sed non in formam substantialem que est anima. vnde non potest dici q simpliciter fuerit idem numero. qz quelibet differentia substantialis excludit idem simpliciter. animatus autem est differentia substantialis. et idem non est corrumpi non alterari tantum. nec idem potest dici q simpliciter non idem vel aliud. quia non est in totam substantiam non idem aut aliud. **D**icendum e q in qd idem in qd non idem. in materia enim idem. in formam vero non idem. **A**d primum ergo dicendum q homo est nomen nature. sed filius est nomen hypostasis. et ideo magis in triduo mortis christus potest dici filius hominis q homo. **A**d secundum dicendum q similitudo non attenditur ibi quantum ad omnia. sed solum quantum ad occupationem. **N**am christus fuit mortuus in corde terre. non autem Jonas in ventre ceti.

### Articulus secundus.

**S**ecundum sic proceditur. **C**onclidetur q illa passio christi non suffecisset ad redemptionem humani generis sine morte. **D**icit enim apostolus ad gallathas secundo. **S**i ex lege est iusticia. ergo xpus mortuus est gratis id est inutiliter et sine causa. **S**ed si alia passio sufficeret. christus gratis mortuus esset. sed hoc habet apostolus pro inuenienti. ergo alia passio christi non suffecisset ad redemptionem hu-



## Secundum.

mani generis. **P**reterea illud em̄  
emi dicitur quod iusto ꝑcio compa  
ratur. **S**ed iustum precium pro pec  
cato primi parentis quo venditum  
est in seruitutem genus humanū esse  
non potuit aliud q̄ vita xpi. que va  
let omnium hominum vitas que p  
illud peccatum priuatur. **M**am per  
peccatum primi hominis mors in  
in omnes introiuit. vt dicitur ad ro.  
quinto. ergo non potuisset humanū  
genus redimi per aliam passionem  
xpi absq̄ morte. **P**reterea **G**rego.  
dicit in tertio moralium. **Q**uod nisi xps  
mortem indebitam suscepisset. nequa  
q̄ nos a morte debita liberar̄. ergo  
passio alia non suffecisset ad libera  
tionem humani generis sine morte.  
**P**reterea apostolus dicit ad heb.  
decimo. **Q**uod christus vna oblatione  
consumauit in eternuz sanctificatos  
et ideo non est locus secunde oblati  
onis. **S**ed manifestum est q̄ christus  
ante mortem multas passiones susti  
nuit esuriens. laborans. conspuus ⁊  
flagellatus. **S**i ergo iste passiones  
suffecissent. non obtulisset seipsuz ad  
mortem. obtulit autem seipsum hosti  
am deo pro peccatis nostris vt dici  
tur ad eph. quinto et hoc per mortē  
ergo passio xpi absq̄ morte nō suffe  
cisset. **S**ed contra **I**niuria vel pas  
sio alicui⁹ mensuratur ex dignitate ꝑ  
sone. maiorē enim iniuriā patitur  
rex si peritur in facie. q̄ aliqua pri  
uata persona. sed dignitas persone  
christi est infinita. quia est persona  
diuina. ergo quelibet passio eius q̄n  
tūcunq̄ sit minima est infinita. **Q**ue  
libet ergo passio eius suffecisset ad re  
demptionem humani generis etiam  
sine morte. **P**reterea **B**ern. dicit.  
**Q**uod minima gutta sanguinis christi  
suffecisset ad redemptionem humani

generis. potuisset autem aliqua gut  
ta sanguinis christi effundi sine mor  
te. ergo etiam sine morte potuisset ꝑ  
aliquam passionem humanum gen⁹  
redimere. **R**esponso dicendum q̄  
ad emptionem duo requiruntur scz  
quantitas precij et deputatio ei⁹ ad  
aliquid emendum. **S**i enim aliquis  
det precium non equiualeus ad rem  
aliquam acquirendam. non dicitur  
esse simpliciter emptio. sed partim  
emptio partim donatio. puta si ali  
quis emat librum q̄ valet .xx. libras  
pro decem libris. partim emeret li  
brum. et partim sibi daretur. **C**ur  
si daret etiam maius precium et nō  
deputaret ad emendum. non diceret  
emere librum. **S**i ergo loquamur de  
redemptione humani generis quan  
tum ad quantitatem precij. sic quel  
bet passio christi etiā sine morte suffe  
cisset ad redemptionem humani ge  
neris propter infinitam dignitatem  
persone. et sic procedunt due vltime  
rationes. **S**i autem loquamur quā  
tum ad redemptionem precij. sic di  
cendum est. **Q**uod nō sunt deperate ad  
redemptionē humani generis a deo  
patre ⁊ christo alie passiones christi  
absq̄ morte. et hoc triplici ratione.  
**P**rimo quidem ut precij redempti  
onis humani generis non solum esset  
infinitum valore. sed etiam esset eius  
dem generis vt scz nos de morte per  
mortem redimeret. **S**ecundo vt  
mors xpi nō solum esset precium re  
demptionis sed etiā exemplū vritutis  
vt videlz hoies n̄ timeret ꝑ veritate  
mori. **E**t has duas cās assignat ap̄ls  
ad heb. ij. dicēs **U**t ꝑ mortem destru  
eret eū q̄ hēbat mortis impiū. quātū  
ad primum **E**t liberaret eos q̄ timo  
rem mortis ꝑ totam vitam obnoxij  
erant seruituti. q̄tum ad secundum



## Quodlibet

**T**ertio ut mors xpi esset etiam sacramentum salutis. dum nos virtute mortis christi morimur peccato et carnalibus concupiscentiis et proprio effectui. et hec causa assignatur. **i. Petri iij.** Christus semel pro peccatis nostris mortuus est iustus pro iniustus. ut illos offerret deo mortificatos ante spiritum. et ideo humanum genus non est redemptum per aliam passionem absque morte christi. **Ad primum** ergo dicendum quod non sine causa deputata est mors christi ad redemptionem humani generis. quavis minor passio sufficere potuisset. ut dictum est. **Ad secundum** dicendum quod christus non solum dedit vitam suam. sed etiam quancumque passionem patiendi sufficiens precium exolvisset pro redemptione humani generis. si minor passio ad hoc deputata fuisset. et hoc propter infinitam dignitatem persone christi ut dictum est. **Alie** due rationes procedunt ex hoc quod alie passiones christi non fuerunt deputate ad hoc quod pro eas absque morte christi redimeretur humanum genus.

**D**einde querebatur de angelis. **Et primo** quantum ad compositionem ipsorum. **Secundo** quantum ad tempus motus ipsorum. **Circa primum** querebantur duo. **Primo** utrum angelus substantialiter sit compositus ex essentia et esse. **Secundo** utrum in angelo sit aliud suppositum et natura.

### Articulus tertius

**H**oc primum sic proceditur. **U**idetur quod angelus substantialiter

ter non componatur ex essentia et esse. **Essentia** enim angeli est ipse angelus quia quidditas simplicis est ipsum simplex. **Si** ergo angelus componeretur ex essentia et esse. componeretur ex se ipso et alio hoc autem est inconueniens. **Non** ergo substantialiter componitur ex essentia et esse. **Preterea** nullum accidens cadit in substantialiter compositionem substantie. **Sed** esse angeli est accidens. proprie enim deo attribuitur. **Phil.** in libro de trinitate. quod esse non sit accidens ei. sed subsistens veritas. ergo angelus non est essentialiter compositus ex essentia et esse. **Sed** contra est quod dicitur in commento libri de causis. quod intelligentia quam dicimus angelum habet essentiam et esse. **Responsio** dicendum quod dupliciter aliquid de aliquo predicatur. **Uno** modo essentialiter. **Alio** modo per participationem. **Lux** enim predicatur de corpore illuminato participative. **Sed** si esset aliqua lux separata predicaretur de ea essentialiter. **Secundum** ergo hoc dicendum est quod ens predicatur de solo deo essentialiter eo quod esse diuinum est esse subsistens et absolutum. **De** qualibet autem creatura predicatur per participationem. **Nulla** enim creatura est suum esse. sed est habens esse. **Sic** et deus dicitur bonus essentialiter. quia est ipsa bonitas. **creature** autem dicuntur bone per participationem quia habent bonitatem. **Unumquodque** enim in quantum est bonum est secundum illud augustini in primo de doctrina christi. quod in quantum sumus boni sumus. **quandocumque** autem aliquid predicatur de altero per participationem. oportet ibi aliquid esse propter id quod participat. et sic in quibus



## Secundum.

creatura est aliud ipsa creatura. que  
habet esse ei<sup>9</sup>. et ipm eē et hoc est qd  
Boetius dicit. in li. de hebdomadis  
De in omni eo quod est circa pimum  
aliud est esse et quod est. **S**ed sciē  
dum est qd aliquid picipatur dupli  
citer. Uno modo quasi existens de  
substantia participantis. sicut genus  
participatur a specie. Hoc autē mō  
esse non participatur a creatura. **I**d  
ei est de substantia rei. qd cadit in ei<sup>9</sup>  
diffinitione. **E**ns autem non ponit  
in diffinitione creature. quia nec est  
genus neq; differentia. vnde partici  
patur sicut aliquid non existens de  
essentia rei. **E**t ideo alia questio est.  
an est. et quid est vnde cum omne qd  
est preter essentiam rei dicatur acci  
dens esse quod p̄tinet ad questionez  
an est. est accidens. et ideo commēta  
tor dicit in. v. meth. **Q**uod ista ppositio  
fortes est. est de accidentali predicato  
fm q; importat entitatem rei vel ve  
ritatem ppositionis. h; vez est q; hoc  
nomen ens fm q; importat rem cui  
competit hmoi esse. sic significat esse  
tiam rei. et diuiditur p decem genera  
non tñ vniuce. quia non eadem ra  
tione competit omnibus esse. **S**z sub  
stantie quidem per se. alijs autem ali  
ter. **S**i ergo in angelo est compositō  
ex essentia et esse. non tamen est com  
positio sicut ex partibus substantie  
sed sicut ex substantia et eo qd adhe  
ret substantie. **A**d primum ergo di  
cendum q; aliquando ex his que sit  
iunguntur relinquūt aliqua res tertia  
sicuti ex anima et corpore constituit  
humanitas q; est homo. vnde homo  
componitur ex anima et corpe. **A**li  
qñ autem ex his que simul iungunt  
non resultat res tertia. sed resultat q;  
dam ratio composita. sicut ratio ho  
minis albi resoluit in rationē hominis  
et in rationem albi. et in talibus ali

quid componitur ex se ipso et alio. si  
cut album componitur ex eo quod  
est album et ex albedine. **A**d scdm  
dicendum q; esse est accidens. nō qsi  
p accidens se habēs sed quasi actua  
litas cuiuslibet substantie. vñ et ipse  
deus qui est sua actualitas est suum  
esse.

### Articulus .iiij.

**S**ecundum sic proceditur.  
**V**idetur q; in angelo idem sit  
suppositum et natura. **I**n his  
enim que sunt composita ex materia  
et forma differt suppositum et natu  
ra. quia suppositum addit supra na  
turam speciei materiam individua  
lem. quod non potest esse in angelo.  
si angelus non sit compositus ex ma  
teria et forma. ergo in angelo nō dif  
fert suppositum et natura. **S**ed dice  
bat q; suppositum in angelo differt a  
natura in quantum suppositum intel  
ligitur vt habens esse. non autem na  
tura. **S**ed contra. **S**icut esse non  
ponitur in diffinitione nature. ita nō  
ponetur in diffinitione suppositi vel  
singularis. si suppositum vel singulae  
diffiniretur. **E**rgo suppositum p esse  
a natura nō differt. **N**ullo ergo mō  
differunt suppositum et natura.

**S**ed contra. **I**n omnibus creatu  
ris natura constituit suppositum. **S**z  
nihil constituit se ipsum. ergo in nul  
la creatura est idem suppositum et na  
tura. **R**esponso dicendum q; ad  
hulus questionis intelligentiam o  
portet considerare quid sit suppositū  
et quid natura. **N**atura autem quā  
uis multipliciter dicatur. tamen vno  
modo dicitur natura ipsa substantia  
rei. vt dicitur in quinto meth. fm q;  
sbasignificat essentiā vel qd dstatē rei  
vel qd qd ē. **I**llud & significat nomie  
nature. prout hic loquimur de na  
tura quod significat diffinitio. vnde



## Quodlibet

**P**hoetius dicit in li. de duabus natu-  
ris. **N**atura est unūquodque in formā  
specificā dīa. dīa enim specificā est  
p̄pletiva dīfinitionis. **S**uppositū est  
singulāe in genere s̄be q̄d dicitur hy-  
p̄stasis vel substantia p̄ima. **E**t q̄a  
substantie sensibiles p̄posite ex mate-  
ria et forma sunt magis nobis note  
ideo in eis p̄mo videamus quō se  
habent essentia vel natura ad suppo-  
situm. **D**icunt autē quidam q̄ forma  
partis est idem cum forma toti⁹ que  
dicitur essentia vel natura s̄m rem. s̄  
differt sola ratione. nam forma p̄tis  
dicitur in quantū facit materiam eē  
in actū. forma autē totius inquantū  
p̄stituit speciem. sicut anima dicitur  
forma partis. inquantū facit corpus  
esse in actū. et similiter dicitur anima  
forma totius inquantū p̄stituit sp̄z  
humanam. et sic dicitur humanitas.  
et s̄m hoc in reb⁹ compositis ex ma-  
teria et forma natura est pars suppo-  
siti. **N**am suppositum est individuum  
ex materia et forma. ut dictū est.

**S**ed predicta positio non videt esse  
vera. quia ut dictum est natura vel es-  
sentia dicitur id q̄d significat dīfīni-  
tio. **D**īfīnitio autem in rebus natu-  
ralibus non solum significat formā  
s̄ etiam materiam. ut dicitur in .vj.  
meth. **N**ec potest dici q̄ materia po-  
natur in dīfīnitione rei naturalis. si-  
cut non existens de essentia eius. hoc  
enim est proprium accidentis ut dī-  
fīniatur p̄ aliquid q̄d non est de eēn-  
tia eius s̄z p̄ s̄m. et ideo habent eēn-  
tiam incōplete. ut dicitur in .vj. meth.

**R**elinquitur ergo q̄ in reb⁹ p̄positis  
ex materia et forma essentia vel na-  
tura non sit sola forma. sed compo-  
situm ex materia et forma. restat ergo  
p̄siderandum cum suppositū vel indī-  
viduū naturale sit p̄positū ex matēria  
et forma. utrū sit idem essentia vel na-

**E**t hanc questionē monet p̄s  
in .vij. meth. ubi inquit. utrū sit idē  
unūquodque et q̄d quid est eius. et dē-  
minat q̄ in his que dicunt p̄ se idem  
est res. et q̄ quid est rei. **I**n his autē  
que dicuntur p̄ accidens nō est idem  
hō enim nihil est aliud q̄ quid est  
hominis. **N**ihil enim aliud significat  
homo q̄ animal gressibile bipes. **S**z  
res alba non est idem omnino ei q̄d  
quid est albū. q̄d s̄z significat nomie  
albi. **N**am albū nihil significat nisi q̄  
litate. ut dicit in predicamētis. res  
autē alba est substantia habens quali-  
tatem. **S**cōm hoc ergo cuiūq̄ pōt  
aliquid accidere q̄d nō sit de ratione  
sui nature in eo differt res. et q̄d quid  
est siue suppositū a natura. nam in si-  
gnatōne nature includit solum id q̄d  
est de ratione speciei. suppositum autē  
non solum habz hec que ad rationē  
speciei p̄tinēt. s̄ etia alia q̄ ei accidunt  
et ideo suppositum signatur ut totū  
natura autē siue quidditas ut pars  
formalis. **I**n solo autē deo nō inue-  
nitur aliq̄d accidēs p̄ter ei⁹ eēntiā  
q̄z suū eē ē sua eēntia. ut dictū ē. et iō  
in deo ē oīo idē suppositū et natura.  
**I**n angelo autē nō ē oīo idē. q̄z aliq̄d  
accidit ei p̄ter id q̄d est de ratione  
sue speciei. q̄z et ipsū esse angeli ē p̄ter  
eius essentiam seu naturam. et alia q̄  
dam ei accidunt q̄ omnia p̄tinēt ad  
suppositū. nō autē ad naturam. **A**d  
p̄mū ergo dō q̄ nō solū in p̄positū.  
ex materia et forma inuenitur aliq̄d  
accidēs p̄ter essentiam speciei sed  
etiam in substantijs spiritalib⁹ que  
non componuntur ex materia et for-  
ma. ideo in vtriq̄ suppositum non  
est omnino idem quod natura.

**H**oc tamē est aliter et aliter in vtrif-  
q̄. **I**n duobus enim modis aliquid  
accipitur ut accidēs p̄ter ratio-  
nem rei. **I**n uno modo quia non



## Secundum.

adit in diffinitione signate essentiam  
rei sed tamen est designativum vt de  
terminativum alicuius essentialium  
principiorum. sicut rationale accidit  
animali. vtpote preter diffinitionem  
eius existens. et tamen est determina-  
tivum essentie animalis. vnde est esse  
ciale homini. et de ratione ei<sup>9</sup> existes  
**A**lio modo accidit aliqd alicui. quia  
nec est in eius diffinitione. nec est de-  
terminativum alicuius essentialium  
principiorum. sicut albedo accidit ho-  
mini. **H**is ergo que sunt composita  
ex materia et forma accidit aliquid  
preter rationem speciei existens vtro-  
q; modo. **C**um enim de ratione spe-  
ciei humane sit q; compoatur ex aia  
et corpore. determinatio corporis z  
anime est preter rationem speciei. et  
accidit homini in quantum est homo  
q; sit ex hac anima et ex hoc corpore  
**S**ed hoc convenit per se huic homi-  
ni de cuius ratione esset si diffiniretur  
q; esset ex hac anima et ex hoc corpore  
sicut de ratione hominis communis  
est q; sit ex anima et corpore **A**ccidunt  
etiam copositis ex materia et forma  
preter rationem speciei multa alia q;  
non sunt determinativa essentialium  
principiorum. **S**ubstantijs vero im-  
materialibus creatis accidunt quidam  
aliqua preter rationem speciei. q; no-  
sunt determinativa essentialium prin-  
cipiorum. vt dictum est. non tamen  
accidunt eis aliqua que sunt determi-  
nativa essentie speciei quia ipsa natu-  
ra speciei non individuatur per ma-  
teriam sed per se ipsam ex hoc q; tal-  
for no est nata recipi in aliq; materia  
vnde per se ipsam non est multiplica-  
bilis neq; predicabilis de pluribus.  
sed quia non est suum esse. accidit ei  
aliquid preter rationem speciei. scilz  
ipsum esse et alia quedam que attri-  
buuntur supposito et non nature. pro-

pter quod suppositum in eis non est  
omnino idem cum natura. **A**d se-  
cundum dicendum quod non omne  
qd accidit alicui pter rationem speciei  
est determinativum essentie ipsius vt  
oporteat illud poni in ratione eius  
sicut dictum est. et ideo licet ipsum ee no  
sit de rone suppositi. qz tm ptnet ad  
suppositum et no est de rone nature.  
manifestum est q; suppositum et natura  
no sut omnino ide in quibuscunq; res  
non est suu esse. **A**d illud vero qd  
in pteiu obicit d d q; natura dz costi-  
tuere suppositum etia in ppositis ex ma-  
teria et forma. non qz natura sit vna  
res et suppositum alia res. **H**oc em fm  
opinionem dicentiu q; natura speciei sit  
forma tm q; pstituit suppositum sic totu  
sz qz fm modu signadi natura signi-  
fica vt ps rone supdicta supposituz  
vo vt totu. natura significa vt pstiti-  
tuens. et suppositum vt constitutum.

### Articulus. v.

**D**e inde qritum est de tpe. per  
quod deus movet creaturas  
spirituales fm aug. vtz sit ide  
cum tpe qd mensurat motus corporali-  
um reru. **E**t videt q; sic. qz nec aug.  
diversitatem hac tpe assignat. neq;  
aliquis pbis. **T**anum ergo videt hac  
diversitatem tpe assignare. **P**re-  
terea. omne quod est in quantum est  
vnum est. **S**i ergo no sit vnu temp<sup>9</sup>  
sz diversa. no erit ens. quod est incon-  
ueniens. **O**portet ergo ponere vnu  
tpe tm. **S**z ptra. **T**ps q; mensura-  
tur corporales mot<sup>9</sup> est numerus mot<sup>9</sup>  
primi celi fm pbm in. iij. phi. **S**z tpe  
pus p quod mouent angeli non hz  
aliquem ordinem ad motu. ergo illud te-  
pus est aliud a tpe corporaliu reru.  
**P**reterea perpetuo et corruptibili ni-  
hil e coe nisi fm nom. vt dz i. x. meth  
sz angeli sut ppetui. corpa at sunt cor-  
ruptibilia. no e ide tps e vtr oruq;



## Quodlibet

**R**e. dicendum q̄ sicut aug. dicit in .xj. de civi. dei Tempora nō fuissent nisi creatura fieret. que aliquid aliq̄ motione mutare. cuius mutationis cum aliud atz aliud que simul esse nō possunt. cedit atz succedit sequitur tēpus. et quo accipitur. q̄ etiam phs dicit in .iiij. phi. **O**portet loqui de tempore fm̄ rationem motus. nam tempus est numerus motus fm̄ pri<sup>o</sup> et posterius. Omnes ergo mot<sup>o</sup> qui possunt mensurari vna mensura hnt̄ vnum tempus. Si qui vero mot<sup>o</sup> sūt qui non possunt vna mensura mēsurari. necesse est q̄ eorum sit diversuz tempus. Cum aut̄ mensura sit homogenea mensurato. vt dicit̄ in .x. meth. manifestū est q̄ omnia que sūt vnius generis possunt habere vnam mēsuram communem non autem que sūt generum diuersorum. Omnes autem motus continui conueniunt in vno genere in quantum sunt commensurabiles. et ideo possunt habere vnā mēsuram p̄munem. mensuratur em̄ oēs simplicissimo sui generis. s. velocissimo motu primi celi. vnde omnium motuum continuoꝝ potest esse vnū temp<sup>o</sup> commune. qd̄ quidem tempus licet videatur esse fm̄ genus de numero discretorum. quia est numerus harum rerum p̄tinuarum scz motuum. sit et ipm̄ p̄tinuū sicut decem simpliciter dictū est aliquid discretum. Sed decem vln̄e panni est aliquid continuū. discretorum autem et continuoꝝ nō potest esse vna mensura p̄munis. cū sint diuersorum generum in quantum sunt mensurabilia. et ideo necesse est si sint aliqui motus nō p̄tinui q̄ t̄p̄s eorū aliud a motu quo mensurant̄ mot<sup>o</sup> cōtinui. manifestum est autem q̄ motus spiritualium creaturarum de quibus aug. loquitur dicens creaturam spirituales moueri p̄ tempus et nō

p̄ locum. non sunt motus continui s̄ vicissitudines quedaz discrete. Dicit enim q̄ p̄ tēp<sup>o</sup> mouetur animus vel reminiscendo quod oblitus erat. vel discendo quod nesciebant. vel volendo qd̄ volebat. vnde manifestum est q̄ cum temp<sup>o</sup> nō habeat continuitatem nisi ex motu. q̄ tale tempus non est continuum. et q̄ est aliud a tempore corporalium rerum. **A**d p̄imum ergo dicendum q̄ aug. ex ipsa differentia motuum dat̄ intelligere differentiam tēporum. **A**d secundum dicitur q̄ eo modo aliquid est vnum q̄ est et dicitur esse. quod enim dicitur esse fm̄ speciem est vnū specie. nō autem vnum numero. vnde non sequit̄ si sint plures homines. q̄ non sit hō et similiter non sequitur si sint plura tempora q̄ non sit tempus.

**D**icendum quod questum est de homine. **E**t primo quantum ad virtutes. secundo quantum ad p̄tā. **T**ertio quantum ad penas. **C**irca virtutes at̄ fuit̄ q̄ritū q̄ritū ad res diuinas et q̄ritū ad res humanas. **Q**uātū ad res diuinas quesita sūt tria. **P**rimo circa fidem vtrum aliquis teneretur credere christo visibilia miracula nō facienti. **S**ecundo circa fidei sac̄m vtrum paruuli iudeoꝝ sint baptizandi inuitis parentibus. **T**ertio circa decimas que debent̄ ministris sacramentorum. vtrum aliquis p̄pter p̄suetudinem possit excusari ne decimas soluat. **A**rticulus .vi.

**A**d p̄imum sic procedit. **E**t dicitur q̄ x̄po non facienti visibilia miracula homines credere non tenerent̄. **Q**uicunq̄ em̄ nō facit hoc ad quod tenetur peccat. **S**ed si homines non crederent christo miracula non facienti non peccarent. **D**icit enim ipse in Johanne quinto decimo. **S**i opera non fecisset



## Secundum.

in eis que nullus alius fecit. peccatus non haberent. et loquitur de peccato infidelitatis secundum angulum. ergo christo si non fecisset miracula homines credere non tenderentur. **P**reterea nullus potest mutare legem nisi legislator vel eo superior. Sed christus predicabat quedam que videbantur pertinere ad veteris legis abolitionem. sicut quod cibi non coinquinarent hominem. et quod licet in sabbato operari. Si ergo non probasset se esse legislatorem. non fuisset ei credendum. Sed hoc fieri non potuisset nisi per miracula. cum legislatorem multa miracula precesserint. ergo christo non esset credendum nisi miracula fecisset. **S**ed contra. Magis obligantur homines ad credendum prime veritati quam ad credendum visibilibus signis. Sed licet christus miracula non fecisset. ipse tamen verus deus existens prima veritas erat. ergo etiam si miracula non fecisset. adhuc erat ei credendum. **P**reterea gratia unionis est maior quam gratia gratum faciens per adoptionem. Sed miracula non sufficienter probant gratiam gratum facientem. quia ut habetur Mat. vij. his qui christo in iudicio dicent. Domine in nomine tuo virtutes multas fecimus respondebitur. Non novi vos. ergo multo minus miracula sufficienter ad probandum gratiam unionis. Si ergo sine miraculis christo homines credere non tenerentur. neque etiam miraculis factis tenebantur credere dicenti se esse deum. quod patet esse falsum. **N**on dicendum quod nullus teneretur ad hoc quod est supra vires suas nisi per hunc modum quo fit sibi possibile. credere autem est supra potentiam hominis naturalem. unde ex dono dei provenit. secundum illud apostoli ad Eph. ij. Gratia salvati estis. per fidem et hoc non ex nobis. dei enim donum

est. et apud phil. j. dicit. Vobis datum est non solum ut in ipsum credatis. sed ut per ipso patiamini. Homo ergo tenetur credere secundum hoc quod adiunatur a deo ad credendum. Adiunatur autem a deo aliquis ad credendum tripliciter. **P**rimo quidem per interiorum vocationem. de qua dicitur Jo. vj. Omnis qui audit a patre et didicit venit ad me et ad ro. vij. Quos predestinavit hos et vocavit. **S**ecundo per doctrinam et predicationem exteriorum secundum illud apostoli ad ro. x. Fides ex auditu. auditus autem per verbum christi. **T**ertio per exteriora miracula. unde dicitur. j. ad cor. xiiij. quod signa data sunt infidelibus ut scilicet per ea provocentur ad fidem. Si autem christus visibilia miracula non fecisset adhuc remanebant alij modi attrahendi ad fidem. quibus homines acquiescere tenerentur. Tenebantur enim homines credere auctori legis et prophetarum. tenebantur etiam interiori vocationi non resistere. sicut Isaias de se dicit. Dominus deus aperuit mihi aurem ego autem non contradico. retrosum non abii. Isaias. i. sicut de quibusdam dicitur Act. vij. Cuius semper spiritus sancto restitit. **A**d primum ergo dicitur quod iter illa opera que christus in hominibus fecit annumerari etiam debet vocationi interiori. que quosdam attraxit. sicut Gregorius dicit in quadam omelia. **D**e christo per misericordiam Magdalenam traxit interiori. qui etiam per clementiam suscepit foris. Annumerari etiam debet eius doctrina. cum etiam ipse dicat. Si non venissem et locutus essem eis non fuisset peccatum non haberent. **A**d secundum dicendum quod christus poterat se ostendere esse legislatorem non solum faciendo visibilia miracula. sed etiam per auctoritatem scripture. et per interiorum instinctum. **A**d tertium dicendum quod interiorum



## Quodlibet

instinctus qui xp̄s poterat se mani-  
festare sine miraculis exteriorib⁹ pri-  
net ad virtutem prime veritat. que  
interius hominem illuminat et docet  
**A**d quartum dicendum q̄ mira-  
cula visibilia fiunt virtute diuina ad  
confirmationem virtutis fidei. vnde  
dicitur **Math.** ultimo de apostolis.  
q̄ predicauerunt vbiq; domino co-  
operante et sermonem confirmante  
sequentibus signis. Non autem fiunt  
miracula semper ad demonstranduz  
gratiam eius per quem miracula fi-  
unt. et ideo potest cōtingere q̄ aliq̄s  
gratiam gratum facientem non ha-  
bens miracula faciat. sed hoc contin-  
gere non potest q̄ aliquis fallam do-  
ctrinam annuncians vera miracula  
faciat. que nisi ȳtute diuina fieri pos-  
sunt Sic enim deus esset falsitatis te-  
stis. quod est impossibile Cum ergo  
xp̄s se filium dei diceret equalē deo  
hanc eius doctrinam comprobāt mi-  
racula que faciebat ⁊ ideo ostēdeba-  
tur christus p̄ miracula que faciebat  
esse deus. Petrus autem licet ea dem-  
vel maiora miracula faceret. nō p̄ba-  
batur esse deus. sed per ea etiam pro-  
babatur q̄ christus esset deus. quia  
Petrus non predicabat se ipsum. sed  
Iesum xp̄m esse deum.

### Articulus. vij.

**S**ecundum sic procedebat  
videtur q̄ pueri iudeorum  
sunt baptizandi inuitis paren-  
tibus. Maius enim est vinculum ma-  
trimoniale quaz ius paterne potesta-  
tis. quia paterna potestas potest per  
hominem solui. cum filius familias  
emancipatur. vinculum autem matri-  
moniale non potest solui p̄ homines  
fm illud **Mat. xvi.** Quos deus con-  
iunxit homo non separet Sed p̄pter  
infidelitatem soluitur vinculum ma-  
trimoniale. Dicit em̄ ap̄tus. j. ad cor.

.vij. **Q** si infidelis discedit discedat  
Non enim seruituti est subiect⁹. frat̄  
autem soror et hmōi. et canon dicit.  
q̄ si coniungit infidelis non vult coha-  
bitare sine cotumelia creatoris. q̄ al-  
ter piugum non debet ei cohabitare  
ergo multo magis propter infideli-  
tatem tollitur ius paterne potestati.  
Sic er infideles iudei non habēt ius  
paterne potestati. in suos filios Pos-  
sunt ergo eorum filij baptizari eis in-  
uitis **P**reterea magis debet homi-  
ni subueniri contra periculū mortis  
eterne. q̄ contra periculū mortis tpa-  
lis Sed si aliquis videret hominem  
in periculo mortis temporalis. et ei nō  
ferret auxilium peccaret. Cum ergo  
pueri iudeoz et aliorum infidelium  
sint i periculo mortis eterne si parē-  
tibus relinquuntur. qui eos in sua in-  
fidelitate iformāt. videtur q̄ sunt eis  
auferendi et baptizandi et in fide in-  
struendi **P**reterea filij seruoꝝ sunt  
serui et in potestate dominoꝝ Sed  
iudei sunt serui regum et principum  
ergo ⁊ filij eorum Reges ergo ⁊ pn-  
cipes hnt potestatem de filiis iudeoz  
facere q̄s voluerint Nulla ergo erit  
iniuria si baptizarentur inuitis parē-  
tibus. **P**reterea qlibet homo ma-  
gis est dei a quo habet aiā q̄ p̄ris  
carnalis a quo habet corpus. Non  
est ergo iniustū si pueri iudeoꝝ car-  
nalib⁹ p̄ntib⁹ auferant ⁊ deo p̄ bap-  
tismum consecrantur. **P**reterea bap-  
tismus est efficacior ad salutem q̄ p̄-  
dicatio. quia per baptismum statim  
tollitur peccati macula et reat⁹ pene  
et aperitur ianua celi. Sed si pericu-  
lum sequatur ex defectu predicatio-  
nis. imputatur ei qui non predicauit  
vt habetur **Ezec. tertio et. xxxiiij.** De  
eo qui videt gladium venientem. et  
nō insonnerit tuba. ergo multo magis  
si pueri iudeoz damnentur propter



## Secundum

defectum baptismi imputat ad peccatum  
eis qui potuerunt baptizare et non ba-  
ptizauerunt. **S**ed contra Nemini sa-  
cienda est iniuria. fieret autem iudeis in-  
iuria. si eorum filii baptizarent eis in-  
uitis quia amitteret ius patris potesta-  
tis in filios iam fideles. ergo eis in-  
uitis non sunt baptizandi. **R**e dō q̄ ma-  
ximā auctoritatē habet ecclie p̄ueta  
do. que semp̄ est in omnib⁹ emulanda  
quia et ipsa doctrina catholicorum  
doctorū ab ecclia auctoritatē habet  
vñ magis ē standū p̄suetudini ecclie  
quā vel auctoritati aug. vel hier. vel  
cuiuscūq; doctoris. hoc autē ecclie  
vltus nunq̄ hūit. q̄ iudeorū filii inui-  
tis parentib⁹ baptizarent quous fuerit  
retroactis t̄pib⁹ multi catholici p̄-  
cipēs potentissimi. vt **C**onstantinus  
**T**heodosi⁹ et alij plures. quibus sa-  
miliares fuerunt sanctissimi episcopi  
vt **S**iluester **C**ōstantino et **A**mbrosi⁹  
**T**heodosio qui nullo mō hoc p̄termi-  
sissent ab eis impetrare. si s̄ eēt p̄sonū  
rōni. et iō piculosū videt hāc asserta-  
tionē de nouo inducere. vt p̄ter con-  
suetudinē in ecclia hacten⁹ obseruatā  
iudeorū filij inuitis parentibus ba-  
ptizent. **E**t h⁹ rō est duplex. vna q̄dē  
p̄pter piculū fidei. **S**i enī pueri nōdū  
vltū rōnis hūtes baptismū susciperēt  
postmodū cū ad p̄fectā etatē puene-  
runt de facili possēt a parētib⁹ induci  
vt relinquerent q̄d ignorātes susce-  
p̄rūt. quod vergeret in fidei detrimētū  
**A**lia vō rō ē q̄a repugnat iustitie na-  
turali fili⁹ enī naturalit̄ est aliq̄d p̄ris  
et primo quidē a parente nō distin-  
guitur s̄m corpus quādiu in matris  
vtero continetur. **P**ostmodum vero  
postq̄ ex vtero egredit̄ anq̄ vsum li-  
beri arbitrij habeat continet̄ s̄ parē-  
tū cura. sicut sub q̄daz spiritali vtero  
**Q**uādiu enī vltū rōnis nō habz pu-  
er non differt q̄ntū ad ea que agit ab

aiāli irratōnali. vñ sic bos vlt equ⁹ iu-  
re gentiū vel civili est possessōis. vt  
vtat̄ eo cuz voluerit. sic p̄prio instro-  
ita de iure naturali est q̄ filius anq̄  
hēat vltū rōnis. sit s̄ cura p̄ris. vñ cō-  
tra iustitiā nālē esset. si puer anteq̄  
haberet vsum liberi arbitrij. a cura  
parentū subtrahat̄. vel de eo aliquid  
ordinet̄ inuitis parentib⁹. **P**ostquā  
autē incipit h̄re vsum liberi ar. iam  
incipit eē suus et pōt q̄ntū ad ea q̄ sūt  
iuris diuini vlt nālis sibi ipi p̄uidere  
et tūc ē iducēdus ad fidē nō coacti-  
one sed p̄suasione. et pōt etiā inuitis  
parētib⁹ p̄sentire fidei et baptizari  
non autē anteq̄ habeat vsum ratio-  
nis. vnde de pueris antiquorū pa-  
trū dicitur q̄ saluabatur in fide pa-  
rentum. per quod datur intelligi q̄  
ad parentes p̄tinet p̄uidere filiis  
de sua salute. precipue antequam ha-  
beant vsum rationis. **A**d p̄imum  
ergo dicendum q̄ in vinculo matri-  
moniali vtriq; p̄iugum habent vltū  
liberi ar. et vterque potest inuito al-  
tero fidei assentire. sed hoc non hēt  
locum in puero antequam habeat  
vsum rationis. sed postquam habet  
vsum rationis. tūc tenet similitudo  
si conuerti voluerit. **A**d scōm di-  
cendum q̄ a temporali non est ali-  
quis eripiendus cōtra ordinem iu-  
ris civilis. puta si aliquis a suo iudi-  
ce condemnatur ad mortem. nullus  
debet eū violēter eripere. vñ nec ali-  
q̄s debz irrūpere ordinē iuris natu-  
ralis. quo fili⁹ est sub cura patris. vt  
eū liberet a periculo mortis eterne.  
**A**d tertium dicendū q̄ iudei sūt  
seruī p̄ncipum seruente civili que  
non excludit ordinem iuris natura-  
lis vel diuini. **A**d quartū dicendū  
q̄ homo ordinatur ad deum per  
ratōnem per quam deum cognosce-  
re potest. vnde puer antequā vsum



## Quodlibet

rationis habeat naturali ordine ordinatur in deum per rationem paratum. quorum cura naturaliter subiacet. et secundum eorum dispositionem sunt circa ipsum divina agenda.

**A**d quintum dicendum quod periculum quod sequitur ex predicatione omnia nulli imminet nisi ei cui est commissum predicationis officium unde in Ezech. premitur. Speculatores dei di te filijs israel. puidere autem peccatoris infidelium de sacramentis salutis pertinet ad parates eorum. unde eis imminet periculum propter subtractionem sacramentorum. si eorum paruuli detrimentum salutis patiantur.

**A**rticulus octauus

**R**esponsum tertium sic procedebatur. Si detur quod propter consuetudinem aliqui deobligentur a iure reddendi decimas. Magis enim est accipere decimas quam non dare. Sed propter consuetudinem in aliquibus terris aliqui milites accipiunt decimas. et hoc ab ecclesia toleratur ergo multo magis propter consuetudinem aliqui deobligantur ut decimas non soluant. neque solvere teneantur. Sed contra. Jus diuinum non aboletur per dissuetudinem. Sed decime debentur de iure diuino. ergo per dissuetudinem non aboletur ius reddendi decimas. Tenent ergo homines reddere decimas propter consuetudinem non obstante. **R**esponsum dicendum quod ea que sunt de iure positivo per dissuetudinem abolentur. Ea vero que sunt a iure naturali vel de iure diuino nulla dissuetudine aboleri possunt. Nulla enim dissuetudine fieri potest ut sit licitum furari vel mechare. Est ergo considerandum ad propositam questionem utrum dare decimas sit de iure diuino vel de iure positivo humano. Jus autem diuinum in nouo et in veteri testamen-

to continetur. et quidem non apparet in nouo testamento aliquod preceptum datum de decimis soluendis in doctrina dico euangelica vel apostolica. Sed enim dicitur Math. xxij. de solutione decimarum. hoc oportuit facere et illa non omittere et quod dicit phariseus. Luce. xvij. Decimas do omnium que possideo. magis videtur ad statum veteris testamenti pertinere quam obseruatione noui testamenti formam imponere. In veteri autem testamento triplex generis preceptorum erat quedam enim erant precepta moralia quedam iudicialia quedam ceremonialia. Precepta moralia sunt que sunt indita naturali rationi. ad que homines omni tempore obligantur. ut honora patrem et matrem. non mechaberis. non furtum facies. et similia. Precepta autem iudicialia sunt per que iudicia exercebantur puta si quis furaretur unam ouem redderet quatuor. et huiusmodi precepta non sunt indita rationi naturali non enim ratio naturalis habet. quod ille qui furat ouem magis reddat quatuor quam tres vel unam sed tamen per huiusmodi precepta determinatur morale preceptum. Habet enim ratio naturalis quod ille qui furatur debet puniri. sed quod tali pena puniatur hoc determinatur per preceptum iudiciale. Precepta autem ceremonialia veteris legis sunt que pertinent ad obseruationem diuini cultus. et sunt ordinata ad figurandum aliquod futurum sicut immolatio agni pascalis figurabat occisionem christi. Est ergo considerandum utrum preceptum de decimis soluendis sit morale vel iudiciale. vel ceremoniale. Si enim morale est ad hoc omnes tenentur. et omni tempore nulla obstante propter consuetudinem sed hoc non videtur. quia ratio naturalis non dicitur magis quod homo ministris dei det decimam quam undecimam vel nonam partem fructuum. Si autem sit

*De decimis*

*militibus accipiunt de  
decimas*



## Secundum

preceptum iudiciale. nō tenentur ad decimas dādas. sicut nō tenent oēs ad iudicādum fm iudicia in lege veteri conscripta. quia illa iudicialia precepta sunt specialiter illi populo data cōsideratis condicionibus ei⁹. non enim omnibus expediūt. **S**i autem sit preceptum cerimoniale. non solum obligaret. sed etiam obseruatū induceret in peccatum. peccaret enim. si quis agnū paschale immolaret quia post aduētū veritatis cessauerunt figure. **D**icendum est ergo sicut antiqui magistri dixerūt. q̄ quedam precepta legis sunt pure moralia. vt nō occides. nō furtum facies. quedam autem pure sunt cerimonialia. vt imolatio paschalis agni et circuncisio. quedam autem media. fm aliquid moralia. et fm aliquid cerimonialia sicut preceptum de obseruatione sabbati est morale quantum ad hoc q̄ aliquod tempus quieti deputetur ad vacādū diuinis. **H**oc enim ratio naturalis habet. s̄ q̄ dies septima sit deputata. hoc ē ex determinatione dei ppter aliquā figuram. vnde hoc ē cerimoniale. **S**ic ergo preceptum de decimis persoluedis ē quidem fm aliquid morale. vt scilicet. qui pro toto populo diuino obsequio vacant. stipendijs populi sustententur. sicut et qui in alijs officijs reipublice seruiunt a populo sustentantur. et fm hunc modum ponitur hoc preceptū. in nouo testamento. **D**icit enim dominus. **Mat.** vij. **D**ignus est operarius cibo suo. et dicit apostolus ad **Corinth.** ix. **Q**ui domin⁹ ordinauit vt qui euangeliū annūciant de euangelio uiuant et qui altario deseruiunt de altario uiuant. **S**ed quantum ad decimatum numerum decime non est de iure naturali. neq̄ est preceptum

morale. sed est cerimoniale. in quantum refertur ad figurādum aliquid circa xpm vel etiam est iudiciale fm convenientiam ad illum populum. in quo multitudo ministrorum tali taxatione opus erat ad ministrorum dei sustentationem. **S**ic ergo hoc commune quod est providere ministris dei in necessarijs vite est de iure diuino quasi morale preceptum et de iure naturali existens. **N**ō quemlibet autem principem qui potest leges p̄dere. pertinet ius naturale commune per ius positiuū determinare. nihil enim est aliud ius positiuum q̄ determinatio iuris naturalis sicut ius naturale habet q̄ malefactor puniā. sed q̄ tali pena puniatur. hoc determinatur per ius positiuum. **Q**uia ergo ecclesia habz potestatem condendi legem in his que perrinēt ad cultum dei. potuit per ecclesie statutū taxari quantitas eorum que sūt danda ministris dei & populo. et vt esset quedam consonantia noui et veteris testamenti statuit ecclesia vt taxatio veteris testamēti seruaretur etiā in nouo. vnde omnes tenentur ad decimas. velint nolint. posset autem ecclesia statuere. si causa subesset vel in maiori vel in minori numero. puta q̄ daret octaua vel duodecima. sicut et q̄ datur decima. **P**atet ergo q̄ nulla consuetudo contraria soluit hominem ab obligatione reddendi decimas. quia hec obligatio fundatur supra ius diuinum et supra ius naturale. vnde semper tenentur homines reddere decimas. si ecclesia erigat. etiam cōtraria consuetudine nō obstante. et in terris in quibus est consuetudo q̄ decime soluantur. ipsa consuetudo quasi exoptulat decimas vnde peccaret qui nō redderet. s̄ in terris in quibus non est consuetudo



## Quodlibet

communis q̄ decime dentur et eccle-  
sia non petit. videtur ecclesia remitte-  
re dum dissimulat et ideo homines  
in terris illis non peccant decimas  
non dando. **B**urum enim esset dicere  
q̄ omnes homines **I**talie et orienta-  
lium partium damnarentur qui deci-  
mas non solunt. **E**t huiusmodi argu-  
mentum possumus ab apostolo acci-  
pere. cui cum deberentur necessaria  
victus ab his quibus predicabat. ta-  
men non accipiebat. nec tamen pecca-  
bant qui ei nō dabant. alioquin ma-  
le cum eis egisset non accipiendo. **N**ō  
enim subterfugi quo minus annūcia-  
rem vob̄ om̄e p̄siliū dei. et ideo apo-  
stolus non exigebat qd̄ sibi debeba-  
tur ne daretur aliquod offendicū  
euangelio. ut ipse dicit. unde non be-  
ne facerent rectores ecclesiarum. si in  
terris illis decimas exigent. in qui-  
bus non est consuetudo dari. si pro-  
babiliter crederent q̄ ex hoc scanda-  
lum nasceretur. **N**ō illud  
ergo quod in contrarium obijci-  
tur dicendum quod milites qui acci-  
piunt decimas in aliquibus terris  
non habēt ius accipiendi decimas.  
**H**oc enim est spirituale debitum mi-  
nistris dei. unde non cadit in laycam  
personam s̄ res ille temporales que  
a iure eriguntur ex cōcessione eccle-  
sie date sunt aliquibus militibus p̄-  
pter aliqua servitia que fecerūt eccle-  
sie. sicut et ecclesia potest remittere  
ip̄os fructus qui debentur pro deci-  
ma. non tamen remittit ius exigendi  
decimas. nec tollit debitū reddendi

**D**einde questum est de his q̄  
pertinent ad virtutes circa  
res humanas. et circa hoc q̄  
sita sunt duo. **P**rimo vtrum filius  
teneatur obedire parentibus carna-

libus in indifferentibus. **S**ecundo  
vtrum venditor teneatur dicere em-  
ptori vitium rei vendite

### Articulus nonus.

**H**oc primum sic proceditur.  
Videtur q̄ filius teneatur  
obedire parentibus carnali-  
bus quantum ad omnia. **V**idetur  
enim **De**uteronomij xxi. **S**i homo  
genuerit filium contumacem et pro-  
teruum. qui non audiat patris aut  
matris imperium. lapidibus eum  
obzuet populus civitatis. **S**ed pe-  
na talis non infligeretur nisi gravi-  
ter peccaret non obediendo. ergo fi-  
lij tenentur obedire parentibus per  
omnia. **P**reterea apostolus dicit  
ad **Col.** tertio. **F**ilij obedite parenti-  
bus per omnia. **P**reterea p̄cepta  
moralia affirmativa quāvis nō ad  
semp obligēt. tamen nunquā contra-  
rium facere licet. **S**ed p̄ceptum  
morale affirmativum est de honora-  
tione parentum. ergo nunquam li-  
cet irreverentem esse parenti. quod  
esset si eius mandato non obediret.  
teneatur ergo filius in omnibus obe-  
dire parentibus. **S**ed contra. **N**ō  
minus obediendum est patribus spi-  
ritualibus q̄ carnalibus. sed magis  
ut habetur per apostolum ad hebre-  
os. xij. **S**ed patribus spiritualibus  
non tenentur subditi obedire in indiffe-  
rentibus. **R**eligiosi enī qui obedi-  
entiam profitentur. non tenentur obedi-  
re suis prelati. nisi in his que sunt  
sine regulam. ut dicit. **Be**r. in li. de  
dispensatione et p̄cepto. ergo nec  
parentibus carnalibus filij tenentur  
in indifferentibus obedire. **R**espō-  
sio dicendum q̄ cum obediētia pre-  
lato debeat ad illa se extendit de-  
bitum obedientie. ad que se extendit

*milites accipiunt decimas*



## Secundum

ius prelationis. habet autem pater  
carnalis ius prelationis in filium.

**P**rimo quidem quantum ad domesti-  
cam conversationem. Sic enim est  
paterfamilias in domo. sicut rex in  
regno. unde sicuti subditi regis tenentur  
obedire regi in his que pertinent  
ad gubernationem regni. ita etiam  
filij et alij domestici tenentur obedire  
paterfamilias in his que pertinent  
ad dispensationem domus. **S**ecundo  
quantum ad morum disciplinam.  
unde apostolus dicit ad hebreos. xij  
Patres quidem carnis nostre habu-  
imus eruditores. et obtemperabimus  
eis. debet enim pater filio non solum  
educationem sed etiam disciplinam.  
ut philosophus dicit. In his ergo  
filius tenetur obedire patri carnali  
et non alijs. **A**d primum ergo di-  
cendum. q. loquitur ibi Moyses de  
imperio paterno quod pertinet ad  
disciplinam morum. unde ibidem di-  
citur. **M**onita nostra audire contem-  
nit comessationibus vacat et luxurie  
atq; conuiujs. **A**d secundum dice-  
dum. q. apostolus dicit obediendum  
esse parentibus per omnia. ad que ius  
prelationis extendit. **A**d tertium  
dicendum q. non exhibet irreveren-  
tiam precipienti si non obedit ei in  
his in quibus obedire non tenetur.

### Articulus decimus.

**S**ecundum sic proceditur.

**C**onclidetur q. venditor non tenetur  
dicere vitium rei vendite em-  
ptori quia secundum leges civiles venditor  
et emptor se inuicem decipere possunt.  
nulla autem posset esse deceptio. si  
venditor rei vendite vitium emptori  
dicere teneretur. ergo non tenetur  
**S**ed dicebat q. leges non loquuntur  
secundum forum conscientie. sed quod nunc

loquimur est secundum forum contentiosum.

**S**ed contra. secundum philosophum in. ij.  
ethico. Intentio legislatoris est ciues  
facere bonos. quod ergo licet secundum leges  
non est contrarium virtuti. et ita  
etiam non est contrarium conscientie.

**S**ed contra. est secundum leges civiles.

**S**i aliquis vendat animal morbidum  
tenetur de vitio. ergo tenebatur dice-  
re vitium emptori. **P**reterea. **T**ullius  
dicit in libro de officijs. **Q**uod ad  
officium boni viri pertinet. ut dicat  
emptori illud pro quo minus vende-  
retur. huiusmodi autem est vitium  
rei vendite. ergo venditor tenetur di-  
cere emptori vitium rei vendite.

**R**esponso. dicendum q. aliquid per-  
tinet ad bonum virum. ad quod ta-  
men homines non tenentur. sicut ad  
bonum virum pertinet q. liberaliter  
amico sua bona largiatur quamuis  
ad hoc non teneatur. **S**ed aliquid  
pertinet ad bonum virum. ad quod  
tenetur. scilicet q. reddat alicui quod  
iustum est. **N**am actus iustitie est ut  
reddatur alicui quod ei debetur. **E**t  
ideo vnusquisq; venditor ad hoc tenetur  
ut iustam venditionem faciat. non  
autem ut faciat venditionem liberalem di-  
mittens aliquid de precio iusto. **I**usti-  
cia autem equalitas quedam est. ut  
dicitur in quinto ethico. **E**st ergo  
iusta venditio quando premium  
acceptum ab habente equatur rei ven-  
dite. iniusta autem si non equatur. sed  
plus recipiat. **S**i ergo vitium rei ven-  
dite faciat rem minus valere q. premium  
impositum a venditore. iniusta erit  
venditio. unde peccat occultas vitium  
**S**i autem non faciat rem minus  
valere q. premium impositum. quia  
forte venditor minus premium impo-  
nit propter vitium. tunc non peccat ta-  
cens vitium. quia venditio non est ini-  
iusta. et forte est sibi dampnosum si vitium

*Iusta venditio*



## Quodlibet

diceret. quia emptor vellet habere re  
etiam pro minori precio. q̄ valeret.  
Liberabiliter tamē facēt si damno  
sum proprium cōtemneret vt satisfi  
ceret voluntati alterius. licet ad hoc  
non teneatur. **A**d primum ergo di  
cendum q̄ per illud dictum legis nō  
habetur q̄ licitum sit simpliciter ven  
ditozi decipere emptorem. et ecōuer  
so. sed dicitur aliquid esse licitū s̄m  
legem. quod per legem non punitur  
sicut s̄m legem veterem licebat libel  
lus repudiij. **A**d secundum dicen  
dum q̄ precepta legis sunt ductina  
ad perfectam virtutem tamen actus  
perfecte virtutis non cadunt sub pre  
cepto legis humane. s̄ prohibz que  
daz gravioza. vt gradatim homines  
retracti a malis per se ipsos ad vir  
tutes exerceantur. Permittit autem  
quedam minora peccata eis penam  
non infligens. quia sine his non faci  
le inuenitur hominum multitudo. et  
de talibus est deceptio que est inter  
vendentes et ementes. q̄a plurimi s̄nt  
qui volunt vili emere. et care vende  
re. vt aug. dicit in li. de trinitate.  
**A**d illud vero quod primo in con  
trarium obijctur dicendum q̄ illud  
intelligendum est. quando morbus  
pecoris facit pecus minus valere q̄  
vendatur. **A**d secundum dicen  
dum q̄ ea ratione Tullius dicit q̄  
vir bonus non tacet vitium rei ven  
dite. quia ad virum bonum non per  
tinet decipere aliquem. deceptio autē  
non est si id quod tacetur de re ven  
dita non facit rem minus valere q̄  
precium quod pro ea accipitur

**D**einde quesitum est de pec  
catis. Et circa hoc quesita  
sunt duo. **P**rimo vtrum  
peccatum sit appetere p̄lationem  
Secundo vtrum peccatum sit predi  
catorum habere oculos ad rem tempo

ralem.

### Articulus vndecim<sup>o</sup>

**A**d primum sic proceditur.  
Videtur q̄ peccatum sit appe  
tere p̄lationem. Non enim  
videtur q̄ possit appeti sine peccato  
id quod non fuit in statu nature inte  
gre. sed solum in statu nature corru  
pte. Sed p̄latio nō fuit in statu na  
ture integre. s̄ incepit eē post peccm  
quando dictum est mulieri Sub vi  
ri potestate eris. ergo peccatum est  
p̄lationem appetere. **P**reterea ap  
petitus videtur esse de his que peri  
tinent ad statum future glorie Sed  
in futuro cessabit omnis p̄latio. vt  
dicit quedam. glo. i. ad Cor. xv. er  
go peccatum est appetere p̄latio  
nem. **S**ed contra ē quod dicitur  
primo ad. Th. v. Qui bene presunt  
presbyteri duplici honore digni ha  
beantur. Sed non est peccatum appe  
tere illud cui debetur honoz. qui nō  
debetur nisi virtuti. ergo non est pec  
catum appetere p̄lationem **R**espo  
sio. dicendum q̄ hāc questionē soluit  
augustin<sup>o</sup> rix. de ciuita. dei. vbi dicit  
q̄ locus superior sine q̄ popul<sup>o</sup> regi  
non potest. et si administratur vt dei  
cet. tamē indeceter appetitur. Cuius  
ratio est. quia qui appetit p̄lationē  
aut est superbus aut iniust<sup>o</sup>. **I**niusti  
cia enim est q̄ aliquis velit sibi plus  
de honore accipē aut de potestate.  
aut de alijs huiusmodi bonis. nisi  
sit maioribus dignus. vt dicitur. v.  
eth. **Q**ui autem aliquis se estimet esse  
magis dignū p̄latione omnibus  
illis super quos p̄lationem acci  
pit superbie et presumptionis est. vñ  
de patz q̄ quicūq; p̄lationē appe  
tit aut est iniustus aut superbus. et  
ideo nullus suo appetitu debet ad



## Secundum

prelacionem pertinere. sed solum dei iudicio sicut illud apostoli ad hebreos quinto. Nemo sibi assumit honores sed qui vocatur a deo tanquam Aaron. potest tamen aliquis licite appetere se esse dignum prelacione vel opera boni prelati. pro quibus debetur honor. Unde patet responsio ad ultimum. Primum vero due rationes non recte concludunt. quia etiam ea que non fuerunt in statu innocentie nec erunt in statu glorie possunt licite appeti. sicut subijci. penitere. et alia huiusmodi. quamvis prelacio quantum ad aliquid fuisset in statu innocentie. et futura sit in statu glorie. scilicet licet quantum ad superioritatem gradus et quantum ad gubernationem vel regimen. non autem quantum ad conditionem servitutem.

### Articulus duodecimus

**H**ec secundum sic proceditur. Videtur quod peccatum sit predicatori habere oculum ad temporalia. Dicitur enim Luce duodecimo. Querite primo regnum dei. Glo. i. bona eterna. et hec omnia addicentur vobis. Glo. etiam non querentibus. ergo non licet predicatori habere oculum ad temporalia. Sed contra est quod dicitur primo ad Corintheos nono. Debet qui arat in spe arare. Glo. Stipendiorum temporalium. ergo licet predicatori de quo ibi loquitur. habere oculum ad temporalia. Responsio dicendum quod habere oculum ad temporalia contingit dupliciter. uno modo sicut ad mercedem vel ad premium. et sic predicatori non licet habere oculum ad temporalia. quia sic faceret evangelium veniale. Alio modo sicut ad stipendia pro necessitate sustentationis vite. et sic licet habere predicatori oculum

ad temporalia. unde prima ad Thimotheum quinto super illud. Qui bene presunt presbyteri etc. dicit Glo. aug. Necessitatis est accipere. unde inuicem charitatis est prebere. non tamen veniale est evangelium pro his. Si enim sic vendunt. magnam rem vili vendunt. accipiant ergo sustentationem necessitatis a populo. mercedem dispensationis a domino. et per hoc patet responsio ad obiecta.

**D**einde questus fuit de penis peccatorum. Et primo de ipsis penis. Secundo de remissione penarum. Circa primum questus sunt duo. Primo utrum anima separata possit pati ab igne corporeo. Secundo utrum duorum qui eadem pena sunt digni unus diutius moretur in purgatorio quam alius.

### Articulus xiii

**H**ec primum sic procedit. Videtur quod anima a corpore separata non possit pati ab igne corporeo. quia sicut philosophum quod non tangit non agit. Sed ignis corporeus non tangit animam separatam a corpore. cum non habeat terminos corporales. que autem se tangunt habent ultima simul. ergo anima separata non patitur ab igne corporeo. Preterea illa que patiuntur ad invicem invicem converti possunt. Sed anima non potest converti in ignem corporeum nec e converso. ergo anima non potest pati ab igne corporeo. Preterea Ber. dicit. Quod nihil ardet in inferno. nisi propria voluntas. Sed propria voluntas cum sit spirituale quoddam non potest esse materia ignis corporealis. ergo anima a corpore separata non potest ab igne corporeo pati. Sed contra est quod dicitur. Isa. ultimo

d. iij

de peccato



## Quodlibet

**I**gnis eorum non extinguetur. **R**espon-  
sio dicendum quod pati multipliciter di-  
citur. uno modo pati communiter dicitur  
idem est quod recipere secundum quod sentire et  
intelligere est quoddam pati. et hoc modo  
anima coniuncta corpori patitur a rebus  
corporeis sentiendo et intelligendo. sed  
an anima separata a corpore possit  
hoc modo a rebus corporeis pati. al-  
terius quodis est propter quosdam qui  
dicunt quod anima separata a corpore et  
etiam angelus potest accipere cogni-  
tionem a rebus sensibilibus. sed si eti-  
am hec opinio esset vera. tamen pati sen-  
tiendo et intelligendo est perfici non pu-  
niri. nisi forte per accidens in quantum id  
quod sentit vel intelligit repugnat vo-  
luntati. sed ipsum sentire vel intelligere  
secundum se consideratum penale non est. **A**lio  
modo dicitur pati proprie loquendo secundum con-  
trarietatem agentis ad patiens. puta si pa-  
ti dicimur. cum aliquid nobis advenit  
quod est contrarium nature vel voluntati  
nostre et secundum hoc infirmitas et tristitia  
passiones dicuntur. **E**t hec quidem pas-  
sio dupliciter esse potest uno modo per re-  
ceptionem forme contrarie. sicut aqua  
patitur ab igne quantum calefit et per se-  
quens diminuitur qualitas naturalis  
eius. hoc modo separata anima non potest  
pati ab igne corporeo. quia nec cal-  
lesieri potest nec desiccari. nec secundum formam  
aut qualitatem quacumque ignis cor-  
porei immutari. **A**lio modo dicitur pa-  
ti omne illud quod quocumque modo impe-  
ditur a suo proprio impetu vel inclinatio-  
ne sicut si dicimus lapidem descendente  
pati. cum impeditur ne deorsum proce-  
dat. et sicut dicimus hominem pati cum detinetur  
vel ligatur ne vadat quo vult. et ita per  
modum ligationis cuiusdam anime patitur  
ab igne corporeo ut augustinus dicit in libro de  
ci. deo. **N**on enim hoc est contra na-  
turam spiritus corpori alligari cum

videamus animam naturaliter alligari  
corporei ad vivificandum ipsum. de-  
mones etiam per nigromantiam pote-  
stare superiorum demonum alligantur  
aliquibus imaginibus. vel aliis  
quibus aliis rebus. unde multo ma-  
gis possunt spiritus alligari divina  
virtute igni corporeo. non ut dent  
vitam. sed ut accipiant penam sicut  
augustinus dicit. **S**ed quia quod est  
minoris virtutis non potest sua virtu-  
te ligare id quod est maioris virtutis  
inde est quod nullum corpus potest liga-  
re spiritum qui est maioris virtutis. nisi  
aliqua superiori virtute. et propter hoc  
dicitur quod ignis corporeus agit in ani-  
mam separatam. non virtute propria sed  
in quantum est instrumentum divine ius-  
ticie vindicantis. **A**d primum ergo  
dicendum quod ignis tangit animam. non  
quidem tactu mathematico. qui atten-  
ditur secundum terminos quantitativos. sed  
magis tactu virtutis non proprie sed quam  
habet in quantum est instrumentum divi-  
ne iusticie. **A**d secundum dicendum  
quod ratio illa procedit de passione quod  
est per suspensionem forme contrarie.  
**A**d tertium dicendum quod propria vo-  
luntas dicitur ardere in inferno quia  
meretur ardorem.

**A**rticulus. xiiij  
**D**icendum sic procedebat  
videtur quod duorum qui sunt  
digni equali pena unus non possit  
a purgatorio liberari quam alius. iudi-  
cium enim pro morte non est hominis sed dei  
qui secundum veritatem iudicat. ut  
dicitur ad romanos secundo. **S**ed contra ve-  
ritatem iudicaret. si unus eorum qui sunt  
digni equali pena infligeret gravi-  
orem pena sensus quam alteri. **D**ilatatio autem  
glorie est maior pena quam acerbitas  
pene sensus. quia sicut dicit. **C**risostomus  
super Mat. Carere visione divina est



## Secundum.

maior pena q̄ quilibet pena sensibili-  
lis. ergo vnus eorum q̄ digni sūt eq̄-  
li pena non maiorē dilationē glorie  
patiet altero citius liberato. **P**re-  
terea malū secundū aug. dicitur quia  
nocet. nocet autē qd̄ adimit bonum  
dilatio autem glorie adimit maius  
bonū. s. bonū increatum. ergo mai-  
malū et sic idem qd̄ prius. **S**ed cōtra  
est qd̄ magister dicit in quarto sentē-  
tiarum di. quadragesima quinta. **D**e  
ille pro quo fiūt plura suffragia citi-  
a penis purgatorij liberatur. **C**ōtin-  
git autē qd̄ pro vno eoz̄ qui digni sūt  
equali pena fiūt plura suffragia q̄ p̄  
alio ergo vnus citi- liberabit. **P**reter-  
rea in fine mundi inveniūtur aliq̄ cre-  
mabilia quedā habentes. quoz̄ dila-  
tio a gloria nō erit tā diuturna sicut  
eorū q̄ modo cremabilia deferūt ad  
purgatoriū q̄a breuis mora erit iter  
mortē et resurrectōnem vt. aug. dicit  
ergo pari rōne et nunc eorū q̄ equa-  
lia cremabilia deferunt vnus potest  
minus differri a gloria q̄ alius et sic  
erit citi- liberatus a penis. **R**espo-  
sio dicēdū qd̄ ista questio fundat sup̄  
virtutē suffragioz̄. vtrū scz̄ suffragia  
pro aliquo valeant illi solū pro q̄  
fiunt ad liberationē vltē alijs. **C**ir-  
ca quod aliqui dixerunt qd̄ non ma-  
gis valēt illi q̄ alijs imo forte magi.  
valent alijs si sit melius dispositi ad  
recipiēdum suffragioz̄ virtutē et po-  
nūt exēplū sicut si accendat cereus in  
domo p̄ aliquo diuite. q̄ sit cecus. il-  
lumiāt omnes in domo exites. et forte  
alios magis illumiāt si habeant lim-  
pidiorem visum et secundū hanc opio-  
nem duoz̄ qui ob equales culpas in  
purgatorio detinentur. vn- non po-  
test citi- liberari q̄ alter sed hāc opi-  
nionem nō reputo veram. **C**uius ra-  
tio est quia suffragium vnus valet

alteri p̄ter duo. **U**no mō p̄ter vni-  
tatem charitatis. quia omnes qui sūt  
in charitate. sūt q̄si vnū corp- et ita  
bonū vnus redundat in omnes. sicut  
manus deseruit toti corpori. et simili-  
ter quodlibet corporis membrum et  
secundum hoc quodcunq̄ bonum  
factum ab aliq̄ valet cuiuslibet in chari-  
tate existenti s̄m illud ps. **P**articeps  
ego sum oim̄ timentū te et custodiēs  
tū mandata tua. **A**lio modo secundū  
q̄ per intentionē alicuius actus ei-  
transferē in alter. puta si aliquis pro  
altero soluat aliquod debitū pro eo  
dē habet acti ille solueret p̄ quo sol-  
uitur. **P**rimo ergo modo valet op-  
bonū per modū meriti. cuius radix  
est charitas. sed secūdo modo opus  
vnus valet alteri per modū satisfi-  
ctionis. prout vnus pro altero satisfi-  
facere potest. si hoc itēdat. et talis va-  
lor attendit in suffragijs que ad hoc  
fiunt. vt per ea homines liberentur a  
debito pene. **E**t ideo dicēdum est qd̄  
suffragia per istum modum non va-  
lent nisi illis pro quibus fiunt. et secū-  
dum hoc si pro aliquo fiunt multa  
suffragia citius liberatur a pena pur-  
gatorij q̄ alij pro quibus non fiunt.  
etiā si equalia peccata detulerint.  
**C**oncedendum tamē est qd̄ suffragia  
pro vno facta omnibus valent in qu-  
tum scilicet omnes qui sciunt gaudere  
ex charitate de bonis. q̄ ex charitate  
fiūt. et secundū hoc verū est qd̄ illis p̄  
quibus nō fiūt plus valēt suffragia  
si sint maioris charitatis. **A**d p̄mū  
ergo dicēdū qd̄ p̄ccō veniali cui nō  
habeat auersionē a deo p̄ se loquen-  
do nō debet pena carētie visionis di-  
uine nec simpliciter. nec ad t̄p̄s. **S**z̄  
q̄ ad t̄p̄us retardent a visione diui-  
na hoc contingit p̄ accidens quia. s.  
quādiu digni sūt aliqua pena. non

De Suffragijs p̄ ad ab. Purgatorio



# Quodlibet

possunt participare summam felicitatem quam in dei visione consistit. iusticia autem respicit penam per se debitam peccato. non autem eam que per accidens consequitur. et per hoc patet responsio ad secundum. Tertium concedimus et quartum similiter. Illi tamen qui in fine mundi vivi reperient partem habebunt de cremabilibus. prece- dentibus tribulationibus purgati. potest etiam fieri ut acerbitas pene modici temporis recompenset diuturnitatem pene in alijs.

**Q**uando quesitus fuit de remissione peccatorum. Et circa hoc quesita sunt duo. Primo utrum peccatum in spiritu sancto sit remissibile. Secundo utrum crucis signatus qui moritur antequam iter arripiat transmarinum plenam habeat remissionem peccatorum.

## Articulus decimusquintus

**H**oc primum sic procedebatur. Videtur quod peccatum in spiritu sancto non sit irremissibile. Una enim est dignitas et maiestas patris et filij et spiritus sancti. Sed peccatum in filio non est irremissibile. Dicitur enim Mathei. xij. Quicumque verbum contra filium hominis dixerit remittetur ei. ergo peccatum in spiritu sancto non est irremissibile.

**S**ed contra est quod ibidem dicitur qui dixerit contra spiritum sanctum verbum non remittetur ei. neque in hoc seculo neque in futuro. Responsio dicendum quod de peccato in spiritum sanctum tripliciter aliqui sunt locuti. Doctores enim ante Augustinum intellexerunt peccatum in spiritum sanctum esse blasphemiam dictam contra spiritum sanctum. aut opera eius. vel etiam contra divinitatem dei patris. aut filij. quia etiam patet

et filius communiter sumendo spiritus sanctus est. quia deus spiritus est ut dicitur Johannis quarto. Peccatum autem in filium hominis intelligunt blasphemias in christo secundum humanam naturam. et utroque modo peccabant iudei in christum. Primo enim modo contra eum peccabant miracula que per spiritum sanctum et virtute sue divinitatis faciebat principum demoniorum attribuendo. Secundo autem contra eum peccabant dicendo. Ecce homo vorax potator vini et publicanorum amicus. ut dicitur Mathei undecimo. Hanc ergo secundam blasphemiam dicit remissibilem quia habebant aliquam excusationem propter infirmitatem carnis. quam in christo videbant. aliam vero blasphemiam dicit irremissibilem. quia nullam habebant excusationem videntes manifesta iudicia spiritus sancti et divinitatis. propter hoc secundum Ierosolimum. perseverantibus non fuit remissa hec blasphemia neque in hoc seculo neque in futuro. quia in hoc seculo puniti sunt pro ea per romanos. et in futuro cruciabuntur in inferno. Secundum Augustinum vero spiritus sancto qui est charitas patris et filij attribuitur remissio peccatorum. Illle ergo contra spiritum sanctum peccat vel blasphemiat. vel verbis dicit corde ore aut opere. qui hoc agit per impenitentiam usque ad finem vite sue. ut non fiat ei remissio peccatorum. et tunc planum est. quod hoc peccatum in spiritum sanctum non remittitur. neque in hoc seculo neque in futuro. Doctores vero moderni dixerunt quod patri attribuitur potentia. filio sapientia spiritus sancto bonitas. peccatum ex infirmitate est peccatum in patre. peccatum ex ignorantia est peccatum in filio. peccatum ex eterna malitia est peccatum in spiritu sancto.

*Utrum de peccato in spiritu sancto sit remissibile*

5  
3  
3



## Secundum

Quia ergo ignorātia vel infirmitas excusat peccatum vel in toto vel in parte dicunt q̄ peccatum in patrem vel in filium remittitur. q̄a vel tota liter culpa caret. v̄l culpa diminiuit. malicia vero non excusat peccatum sed aggravat. et ideo peccatum in spiritum sanctum non remittitur neq̄ in toto neq̄ in parte quia non habz in se aliquam rationem venie. p̄ quā diminiatur culpa. et si aliquādo remittatur. hoc magis est ex misericordia dei remittentis. qui etiā morbos incurabiles curat. q̄ ex remissibilitate peccati. Et per hoc patet solutio ad obiecta

### Articulus decimus sextus.

**S**ecundum sic proceditur. Videtur q̄ cruce signatus q̄ morietur anteq̄ iter arripiat. habeat plenam indulgentiam peccatorum. Ad hoc enim q̄ indulgentia alicui valeat requiritur q̄ sit vere penitens et confessus vt continetur in littera papali. Sed cruce signatus decedens ante iter assumptum habz hec omnia que requiruntur fm̄ formam littere ad percipiendā plenam indulgentiam peccatorum. ergo plene percipit eam. Preterea solus deus remittit peccatum quantum ad culpam. Cum ergo papa dat indulgentiam omnium peccatorum. hoc non est referendum ad culpam. s̄ ad vniuersitatē penarum. Ille ergo qui accipit crucem fm̄ formam littere papalis. nullam penam patietur pro suis peccatis. et sic statim euolabit plenam remissionem peccatorum cōsecutus. Sed contra. Aug. dicit in quindecimo de trinitate. Q̄ nō est ideim abstrahere telum et sanare vulnus. Telum enim peccati abstra-

hitur per remissionem peccati. vulnus autem sanatur per reformationem imaginis. que quidem fit per opera satisfactionis. Sed cruce signatus decedens ante iter arreptum nulluz laborem sustinet ad reformationem imaginis. ergo nondum est sanatum vulnus. et sic nō poterit ad gloriam statim peruenire anteq̄ penas purgatorias patiat. Preterea quilibet sacerdos vtitur talibus verbis. ego absoluo te ab omnibus peccatis tuis. Si ergo cruce signatus decedens euolaret pari ratione quilibet alius a quo cunq̄ sacerdote absolutus. q̄d est inconueniens. Responso. dicendum q̄ ad euidētiam huius questionis q̄ sicut supradictum est. opus vnus potest esse satisfactorium pro alio ad quem per intentionem facientis refertur. xps autem pro ecclesia sua sanguinem suum fudit et multa alia fecit et sustinuit. quorum estimatio est infiniti valoris p̄ dignitatē persone. Unde dicitur sapientie. viij. Q̄ infinitus est in illa thesaurus hominibus. Similiter etiam et omnes alij sancti intentionem habuerunt in his que passi sunt. et fecerunt prope deum. vt hoc esset ad vtilitatem nō solum sui. sed etiam totius ecclesie. Totus ergo iste thesaurus est in dispensatione eius qui preest ecclesie generali. Unde Petro dominus claves regni celorum commisit. Math. decimosexto. Quando ergo vtilitas vel necessitas ecclesie hoc exposcit. potest ille qui preest ecclesie de ista infinitate thesauri communicare alicui qui per charitatem fit membruz ecclesie de predicto thesauro quantum sibi visū fuerit oportuni. vt vsq̄ ad totalem remissionē penarū. vel vsq̄ ad aliquā certā quantitātē. ita scz q̄ passio xpi et alioꝝ sanctorū ei imputet



## Quodlibet

ac si ipse passus esset quantum sufficeret ad remissionem sui peccati. sicut contingit cum vnus pro alio satisfaccit. vt dictum est. **A**d hoc ergo q̄ in indulgentia alicui valeat tria requiruntur. **P**rimo causa pertinens ad honorem dei vt ad necessitatem aut vtilitatem ecclesie. **S**ecundo auctoritas in eo qui facit. **P**apa enim potest principaliter alij vero in quantum potestates ab eo accipiunt vel ordinariam vel commissam seu delegatam. **T**ertio requirit vt sit in statu charitatis ille qui indulgentiam percipere vult. **E**t hec tria designantur in lra papali. **N**am causa conueniens designatur in hoc q̄ promittitur de subsidio terre sancte. auctoritas vero in hoc q̄ fit mentio de auctoritate apostolorum **P**etri et **P**auli et ipsius pape. **C**haritas autem recipientis in hoc q̄ dicitur. **O**mnibus vere penitentibus et confessis. non dicit. et satisfaccientibus quia indulgentia non excusat a contritione et confessione. sed cedit in locum satisfaccionis. **E**st ergo dicendum in questione posita q̄ si in forma papalis lre indulgentia concedat accipientibus cruce insubsidium terre sancte cruce signatus statim habet indulgentiam etiam si decedat antequam iter arripiat. qa sic causa indulgentie erit non iter sed votum itineris. **S**i autem in forma littere contineatur q̄ indulgentia detur his qui transierunt ultra mare. ille qui decedi antequam transeat non habet indulgentiam. quia non habet indulgentie causam. **A**d primum ergo dicendum. q̄ in hoc ultimo casu deficit in cruce signato decedente illud quod est principaliter. scilicet indulgentie causa. **A**d secundum dicendum q̄ per auctoritatem solus deus culpam remittit. sed ministerio etiam sacerdos.

in quantum exhibet sacramentum remissionis peccati. puta in baptismo vel penitentia. et tamen indulgentia non se extendit ad remissionem culpe quia non est sacramentalis. vnde non sequitur ordinem sed iurisdictionem. potest enim et non sacerdos indulgentiam facere. si sit ei commissum et ideo pena totaliter remittitur si causa subsit. non autem si desit. **A**d tertium dicendum. q̄ satisfactio et est punitiva in quantum est actus iudicative iustitie. et est etiam medicatiua. in quantum est quoddam sacramentale. **I**ndulgentia ergo supplet locum satisfaccionis in quantum est punitiva. quia scilicet pena quam alius sustinet imputat isti. ac si ipse sustinisset et ideo reatus pene tollitur. sed non succedit in locum satisfaccionis in quantum est medicatiua. quia adhuc remanent pronitates ad peccatum de relictis ex priori peccato. ad quas sanandas necessarius est labor satisfaccionis. et ideo cruce signatis dum viuunt consulendum est vt non pretermittant satisfaccionis opera. in quantum sunt preseruativa a peccatis futuris. licet reatus pene sit totaliter solutus. nec ad hoc requiritur aliquis labor quia sufficit labor passionis xpi. morientibus autem non est necessaria huiusmodi preseruatio. sed solum liberatio a reatu pene. **A**d quartum dicendum. q̄ verbum sacerdotis dicentis **A**bsoluo te ab omnibus peccatis tuis. non refertur ad penam sed ad culpam cuius absolutio ministerium impedit. **N**on potest autem aliquis absolui ab vna culpa. quin absoluator ab omnibus. pena vero potest totaliter dimitti vt particulariter. particulariter quidem in absolutioe sacramentali pena dimittit. totaliter vero in spiritali gratia indulgentie. sic etiam dñs dicit **Jo. viij.**



## Tertium.

mulier adultere. Non te condemna  
ho. vade et amplius noli peccare

**I**ncipit quodlibet tertium

**Q**uestiū est de deo de an-  
gelis. de hoīb? .7 de crea-  
turis pure corporalib?. de  
deō q̄ntū est. et q̄ntū ad  
naturā diuinā. 7 quā-  
tum ad naturam humanam assum-  
ptā. **C**irca diuinam naturam que-  
sita sunt duo de potentia dei. **P**ri-  
mo vtrum deus possit facere q̄ ma-  
teria sit sine forma. **S**ecūdo vtrū  
possit facere q̄ idem corpus simul lo-  
caliter sit in duobus locis

**A**rticulus primus

**A**d primum sic p̄ceditur. **V**i-  
detur q̄ deus possit facere q̄  
materia sit sine forma. **S**icut  
enim materia s̄m suū esse dependet  
a forma. ita accidēs a subiecto. **S**ed  
deus potest facere q̄ accidēs sit si-  
ne subiecto. vt patet in sacramento  
altaris. ego potest facere q̄ materia  
sit sine forma. **S**ed contra. **D**eus  
non potest facere contradictoria eē  
simul. **S**ed materiam esse sine for-  
ma implicat contradictionem. eo q̄  
esse materie importat actum qui est  
forma. **N**on ergo deus potest facere  
q̄ materia sit sine forma. **R**espon-  
sio dicendū q̄ vniuscuiusq̄ rei virt<sup>us</sup>  
actiua est estimāda s̄m modum essen-  
tie. eo q̄ vnumquodq̄ agit in quan-  
tum est ens actū. vnde si in aliquo in-  
ueniatur forma aliqua vel natura  
non limitata seu contracta erit virt<sup>us</sup>  
eius se extendens ad omnes actus  
vel effectus conueniētes illi nature.  
puta si intelligeretur esse calor per  
se subsistens vel in aliquo subiecto

quod sciperet ipsum s̄m totum eius  
posse. sequeretur q̄ haberet virtutē  
ad producendum omnes actus et  
effectus caloris. **S**i vero aliquid  
subiectum non sciperet calorem s̄m  
eius totum posse. sed cum aliqua cō-  
tractione et limitatione. non haberet  
virtutem actiuam respectu omnium  
actuum vel effectuum caloris. **C**um  
autem deus sit ipsum esse subsistens  
manifestum est q̄ natura essendi con-  
uenit deo infinite absq̄ omni limita-  
tione et contractione. vnde eius vir-  
tus actiua se extendit infinite ad to-  
tum ens. et ad omne id quod potest  
habere rationem entis. **I**llud ergo  
solum poterit excludi a diuina potē-  
tia. quod repugnat rationi entis. et  
hoc nō propter defectū diuine potē-  
tie. sed quia ipsum non potest esse  
ens. **U**nde non potest fieri. **R**epu-  
gnat autem rationi entis non ens si-  
mul et s̄m idem existens. vnde q̄ ali-  
quis simul sit et non sit. a deo fieri  
non potest nec aliquid contradictio-  
nem includens et de huiusmodi est  
materiam esse actu sine forma. om-  
ne enim quod est actu vel est ipse  
actus. vel est potentia participans  
actum. esse autem actu repugnat ra-  
tioni materie. que s̄m propriam ra-  
tionez est ens in potentia. **R**elinquit  
ergo q̄ non possit esse in actu nisi in  
quantum participat actum. actus  
autem participatus a materia nihil  
est aliud q̄ forma. vnde idē est dictū  
materiam esse in actu et materiam  
habere formam. **D**icere ergo q̄ ma-  
teria sit in actu sine forma. est dicere  
cōtradictoria esse simul. vnde a deo  
fieri non pōt. **A**d illud ergo quod  
in contrarium obijcitur dicendum  
q̄ accidēs s̄m suum esse dependet  
a subiecto sicut a causa sustentante  
ipsū. et quia deus potest producere